

17
18
a
1. G.
2. G.
3. J.

4. J.
5. J.

6. K.

7. J.

8. J.

1762

~~Bolke~~

1. Chardenon, Imreus Martinius: De homagio reali
a
2. Chardenon, Imreus Martinius: De rescriptis principium
3. Hanaceus, Christianus: De favore erga debitos cal-
mata belli. Delictatus
4. Hoffmannus, Carolus Frederici: De postulationibus
5. Knebel, Georg Christianus: Ord. juridici . . . Decanus,
lectri benemerit . . . (ad postulationem Iohannem Christianum
Ernesti Bauceri iurist.)
6. Knebel, Gottlob Christianus: Ord. juridici . . . Decanus,
lectri benemerit . . . (ad postulationem Iohann. Henrici
Friderici Lebocott Andicet iur. fat.)
7. Kraunus, Georgius Fredericus: De co*qu* quod extremum
est in jurisdictione crimines respectu condamnati
et mortui .
8. Kraunus, Georgius Fredericus: Usus fractus male uer
do non amitti . . . publice defendit



9. Schroederus, Ernestus Gotthilfus Christianus : *Fus relegendo
ejusque in re publica usum ex legibus juris naturae
et gentium regularique politiciis illustrat.*

10. Neanderius, Iacobus Protor : *De formula uero eccl. praemunitionis, Hallebyatis.
1763. 10. Wilke. 1763. 10. Bochmer*
11. Chardinus, Ernestus Martinus : *Instrumenta et iura mer-
itoriae in Germania*

12. Hommel, Carolus Ferdinandus; Pro cancellarius : *De legitima filii-
arum ex Feudo nro recte compunctiona . . . atque
solemia Iustitiae . . . eandem dicti Johannis Georgij
Spittneri . . . celebranda indicat.*

13. Knebel, Gottlob Christianus : *Ord. juridici . . . De canis :
lectori beneficii s. (ad dispensationem Christiani Knebeli
Bresciani iuris)*

14. Kraus, Georgius Fredericus : *Ord. juridici . . . De canis :
lectori beneficii s. d. p. (ad dispensationem Johannis Krausi
Seketti iuris)*

15. Kraunus, Georg. Fredericus : *De postliminio rerum prae-
sortim militiam*

16. Pauli, Martini Thorelli : *De Burgensis origibz.*

1. Tilius, James Daniel : De pecunie deterioris agno
genuis oraequatione presertim in mutuo
J. Triller J. Triller
2. Wiedemann, Carl von : De recto pacis usu
1764.
1. Fricker, Frederic Augustus : Retractione consanguinitatis
in heredes extraneos ne per litis quodam contestationem
transmitti erinet
2. Gossingius, Charles Gottlieb : De argumentis, quibus neutrus
terre vel impugnatur vel defenditur.
3. Brauer, Georgius Bodmer : De feuis fiduciariis
4. Brauer, Georgius Fredericus : De donatione mortis causa
et principiis obligi pris Germanni: non reverentibus
5. Pohl, Martinus Gottlieb : De constituta pecunia
6. Pohl, Martinus Gottlieb : De compensacionibus.
7. Graech, James Regulus : Principium perfectionis est utile
specie vindicat
8. Graech, James Regulus : De systemate convenientiae
in jure naturae gentiumque mercenario ejusque auto
gustate et impunitate

J. Strachy, Irenaeus syriacus : bzd. phil . . . de carnis ;
conservatis et summis philosophiae ac laurea pretium
honores . . . expensando . . . iniitat primum
boni' commentatoris : se obligatum iherua in jure
naturali sufficiens

DE
POSTLIMINIO RERVM
PRAESERTIM MOBILIVM



P R A E S I D E 1763 5

GEORGIO FRIDERICO KRAVSIO D

INSTITVTIONVM PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO CVRIAЕ PROVINCIALIS CONSISTORII
ECCLESIASTICI SCABINATVS ET FACVLTATIS
IVRIDICAE ASSESSORE

P R O G R A D V D O C T O R I S

RITE OBTINENDO

DIE MAII A. R. G. clo lo CCLXIII

I N A V D I T O R I O M A I O R E

P V B L I C E D I S S E R E T

CHRISTIANVS H ENRICVS DREWER
DRESDENSIS



VITEMBERGAE

PRELO IOANNIS SAMVELIS GERDESI



D E
POSTLIMINIO RERVM
P R A E S E R T I M M O B I L I V M

I.

OCCUPATIO BELICA
MODVS ADQVIRENDI IVRIS GENTIVM
SED DVRANTE BELLO NONDVM SATIS FIRMVS.

QVAE ex hostibus capiuntur, iure gentium statim fieri
cipientium, cum GAIUS,^{a)} et, auctoritatem Neruae
filii sequutus, PAULLVS,^{b)} nos admonet, tum IUSTI-
NIANVS IMPERATOR^{c)} diserte praecipit.^{d)} Licet enim alias
aperta sit iuris regula, quam tradit POMPONIUS:^{e)} id quod
nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non posse;

A 2

quae

quae etiam dubium mouit HEINECCIO,^{f)} an occupatio bellicia uere sit modus adquirendi? antiquitus tamen obtinuit, ut res hostium eodem fere loco haberentur, quo sunt res nullius, ideoque, si ex illis quid licito bello fuerit captum, acquisitum tideatur uictoribus.^{g)} Qua de re sic rationes subducit PVFFENDORFFIUS:^{h)} *Sciendum est, inquit, per statum hostilem, uti cetera iura, ita et effectum dominii aduersus hostem abrumpi baetenus, ut non amplius quis teneatur ab istius rebus manus abstinere, nisi qua humanitas suaserit: In bello ergo res hostium in ordine ad alium hostem redduntur velut dominio vacuae, non quod hostes per bellum ipso iure rerum suarum domini esse definant, sed, quia illorum dominium non obstat hosti, quo minus eas res auferre, sibiique habere possit; prorsus, uti ad rei uacune dominium adquirendum, sola possessio sufficit.* At, cum idem illud, quod hosti in nos licet, nobis in eundem quoque licere debeat, ideoque bello durante integrum esse oporteat rerum nobis ab hoste ablatarum, si fieri possit, recuperationem; facile patet, tunc demum res bello captas ab hoste firmo iure acquisitas esse, si de illis pace facta, siue expresse, siue tacite, fuerit transactum. Quamobrem recte pergit laudatus PVFFENDORFFIUS:ⁱ⁾ *Notandum tamen, rerum bello captarum do-*

minia

minia ultimam firmiratem adquirere, quando is, cui illae erexitae fuerunt, per pacem praetensioni ad easdem renunciat. Igitur, quoad huiusmodi renunciatio nondum facta est, res ab hostibus captae, sed ab horum potestate iterum liberatae, et in reipublicae limites, aut ad amicos et socios, apud quos, ut PAVLLVS^{b)} ait, publico nomine tutae esse incipiunt, reducuae, merito ad pristinos reuertuntur dominos iure postliminii.

a) GAIUS L. 5. §. 7. D. de adquir. rer. dom.

b) PAVLLVS L. 1. §. 1. de adquir. vel amitt. possess.

c) §. 17. I. de ver. diuis.

d) Vnde GLOSSATOR ad ius Weichbild: Artic. II. Was ich meinen rechten Feind nehme, das ist mein; Hab ich denn recht zu seinem Guth, das ich ihm mit Raub nehme, viel hilliger behalt ich ihn selbst, wenn ich ihn fahen mag.

e) POMPONIUS L. II. D. de regul. iur.

f) HEINECCIUS in notis ad VINNIUS commentar. Instit. §. 17. de R. D.

g) Num iis ipsis, qui capiunt, an illi potius, eiusius auspiciis bellum geritur?
Vid. PVFFENDORFFIUS de iure natur. et gent. Lib. VIII. Cap. VI.
§. 21. et VINNIUS modo citatus. iung. L. penult. D. ad L. Iul. peculatus. Add. LAVTERBACHIUS colleg. Pand. theorer. pract. Lib. XLIX.
Tit. XV. §. XI. et STRYKIUS in Vsu Pand. Mod. eod. Lib. et Tit.
§. 2.

h) PVFFENDORFFIUS de iure naturae et gentium, Lib. IV. Cap. VI. §. 14.

i) IDEM cit. loc. iung. §. 17. I. de rer. diu.

k) PAVLVS L. 19. §. 3. D. de captiuis, et postliminio. Add. HVGO GRO-
TIVS de iure belli ac pacis, Lib. III. Cap. IX. §. 2.

II.

POSTLIMINIVM QVID?

EST VEL PERSONARVM, VEL RERVM
AN IN PACE OBTINEAT?

IVDICIVM GROTI DE DOCTRINA POMPONII
IN LEG. V. §. II. D.

DE CAPTIV. ET POSTLIM.

POSTLIMINIVM, de cuius vocabuli etymo inter Scaeulam
et Seruium Iurisconsultos, teste CICERONE,^{a)} interces-
sit controuersia, PAVLVS^{b)} describit, quod sit ius amissae
rei recipienda ab extraneo, et in statum pristinum restituendae,
inter liberos populos, regesque, moribus, legibus, con-
stitutum. Quae tamen finitio uel ideo non omni caret difficultate,
quod nullam prorsus occupationis ab hoste factae iniicit
mentionem, et PROCULVS quoque Iurisconsultus contrarius
esse uidetur.^{c)} Nobis sub nomine postliminii uenit illud ius,
quo personae atque res, captae quidem ab hostibus, sed ab
eorum

eorum potestate rursus liberatae , et ad ciuitatem nostram, aut
amicam sociamque gentem reductae, pristinam conditionem,
quam, priusquam captiae erant, in republica nostra habuerant,
recipiunt. Exinde igitur sua sponte fluit, postliminium esse
tam personarum , quam rerum; quemadmodum **POMPONIUS**
quoque⁴⁾ binas postliminii species statuit, ut scilicet aut nos
reuertamur, aut aliquid recipiamus. Ac de postliminio qui-
dem personarum, et isto iuris civilis Romani placito, quo
postliminio reuersi nunquam capti esse singuntur,⁵⁾ hic dicere
parum attinet, praesertim, cum istud, ut uere omnino iudi-
cat **VLRICVS HVBERVS**,⁶⁾ abolita inter christianos seruitu-
te, uix ullum hodie habeat usum; Quod uero ad ius postli-
minii rerum spectat, de quo tractare constituimus, quominus
etiamnum ualere queat, nullam causam esse uideri, quin indu-
bitato obtinere, idem censet **HVBVRVS**.⁷⁾ Ceterum in bel-
lo postliminium esse, in pace autem his tantummodo, qui
bello capti erant, de quibus in pactis nihil est comprehensum,
nec non illis, qui in pace quidem ad alteros peruererunt, sed,
si bellum subito exarsit, eorum serui, apud quos, iam hostes
suo facto,⁸⁾ deprehenduntur, effecti sunt, ius postliminii esse,
TRYPHONINVS⁹⁾ nos docet. Evidem aliam adhuc speciem
postli-

postliminii, in pace locum habentis, memorat POMPONIVS:^{a)}
Si, inquit, cum gente aliqua neque amicitiam, neque hospitium,
neque foedus amicitiae causa factum, habeamus, bi hostes quidem
non sunt, quod autem ex nostro ad eos peruenit, illorum fit, et
liber homo noster, ab eis captus, seruus fit, et eorum. Idem-
que est, si ab illis ad nos aliquid perueniat. Hoc quoque igitur
casu postliminium datum est. At enim uero de isthac specie non
 immerito iudicat HVGO GROTIUS,^{b)} reliquias bus esse suæculi
Nomadum, quo sensum naturalis societatis, quae est inter homi-
nnes, mores exsurdauerant. Itaque, pergit, apud gentes etiam,
quae bellum publicum non gererent, erat quaedam belli inter pri-
uatos quasi ipsi moribus indicti licentia; ac ne ea licentia ad in-
terficiendos homines profiliret, placuit, captiuitatis iura inter
eos introduci; cui consequens fuit, ut et postliminio locus esset,
aliter, quam cum latronibus, ac piratis, quia illa uis rem pro-
ducebat ad aequas pactiones, quae a latronibus et piratis con-
temni solent.

a) CICERO in Topicis Cap. VIII, confer. MENAGIVS amoenitat. iur. ciu.
 Cap. XXXIX. art. postliminium. Add. quoque §. 5. I. quibus mod. ius patr.
 perfct. soluitur.

b) PAULLVS L. 19. princ. D. de captiu. et postlim.

c) PROCVLV S. 7. princ. D. eod. tit.

d) POM-

- d) POMPONIUS L. 14. princ. D. codem.
- e) Vid. I. 12. §. 6. L. 16. D. cod. Add. CVIACII parasitla ad Tit. Cod.
de postlim. reuersi.
- f) HYBERVS praelect. Pand. lib. XLI X. Tit. XV. §. 6.
- g) IDEM cit. loc.
- h) Conf. CORNELII VAN BYNCKERSHOEK obseruationes iur. Rom. L. I.
c. XX. et L. IV. c. XIV.
- i) TRYPHONINVS L. 12. princ. D. de capr. et postlim.
- k) POMPONIUS L. 5. §. 2. D. cod. tit.
- l) GROTIUS de iure belli et pacis L. III. c. IX. §. 18.

III.

POSTLIMINII AEQUITAS NATURALIS
AD OMNIA BELLO CAPTA PERTINET
PROINDE QVOQVE AD RES MOBILES.

NATURALI aequitate introductum esse, ut res bello amissas
postliminio recipiamus, PAULLVS iam citatus^{a)} obser-
uat, et in IURE CANONICO^{b)} plenum iustitiae dicitur postli-
minium, omnique studio procurandum esse, LEO papa iudi-
cat, quo, remotis malis, quae hostilitas intulit, unicuique,
quod legitime habuit, reformetur, et unusquisque recipiat, quod
proprium est. Ac recte quidem. Quid enim natura aequius

B

est,

est, quam rem redire ad dominum suum, cui, nulla sua culpa, erupta est? Quid hac re magis iustum? Quid ex aduerso aequitatis iustitiaeque regulis magis contrarium, quam, si suum unicuique non tribuamus? Igitur, si naturali rationi obtemperamus, in omnes omnino res, hostium ui occupatas, cum immobiles, tum mobiles, ius cadit postliminii. Neque enim, quoad bello decertatur, hostium factum, quo res ciuium occupatae sunt, res publica nostra, aut socia, approbat, neque rem iure eruptam esse censet, ideoque ipsa iniuria uideretur, siquidem ius rei recipienda pristino denegare vellet dominio.^{c)} Imo uero, cum ciuitati, ut uere iudicat supra laudatus PFEFFENDORFFIVS,^{d)} incumbat, quantum fieri potest, bona ciuium defendere: eiusdem quoque erit, quantum in se est, curare, ut, quae ipsis erupta sunt, recuperentur. Quam etiam sententiam recte tuetur A LEYSER:^{e)} Bella enim, inquit, ideo potissimum geruntur, ut iniuriae hostium revertantur, ac iis ea, quae ciubus nostris eripuerunt, iterum extorqueantur, non, ut fiscus aut milites, qui uel ipse ciues, uel stipendiis per ciues collatis conduci sunt, exnuis borum ciuium locupletentur. Quibuscum HEINECCIVS quoque merito conspirat, mobiles res peraeque, ac personas, fundosque recuperatos,

tos, uel in pristinam libertatem se vindicantes, iure postliminii gaudere statuens.^{f)}

a) PAULLVS L. 19. princ. D. de captiv. et postimin.

b) Can. I. Canf. XXXIV. quaeß. I. et II.

c) conf. HENRICI COCEII Difserit. de iure postliminii §. VIII. hab. HEIDELBERGAE anno M D C L X X I I I .

d) PVFFENDORFF. de iure naturae et gentium. Lib. VIII. cap. VI. §. 25.

e) A LEYSER Medit. ad Pandect. ſpec. DCLIX. m. II. ſequ.

f) HEINECCIVS, Element. iur. natural. Lib. II. §. CCXIV.

IV.

IVRE ROMANO POSTLIMINIVM EST
R E R V M I M - M O B I L I V M
A T M O B I L I B V S Q V I B V S D A M S A L T E M
H O C I V S D A T V M .

Ius ciuile, quod quippe monente V L P I A N O ^{a)} non per omnia seruit iuri naturae, quod ad ius postliminii rerum non nihil ab iſta, de qua superiori paragrapho dictum, naturali aequitate defleſtere uidetur. Equidem immobilibus rebus, hoste eiecto, ius postliminii haud denegant iura romana. Verum eſt, inquit P O M P O N I V S , ^{b)} expulſis hostibus ex agris,

quos cuperint, dominia eorum ad priores dominos redire, nec aut publicari, aut praedae loco cedere. Ad iura quoque, quae solo adhaerent, postliminium pertinere, HVGO GROTIUS,^{c)} VLRICVS HYBERVS,^{d)} et alii complures obseruant.^{e)} At e contrario mobilibus rebus non promiscue omnibus istud ius tribuendum censuerunt Romanorum prudentes. Quodsi TVL-
LIVM^{f)} audiamus, postliminio haec redeunt: *bomo, nauis,*
mulus cliteLLarius, equus, equa, quae frena recipere solet. Sic
etiam PAVLLVS^{g)} de *homine seruo* docet, dominum in eo ha-
bere postliminium, tametsi seruus transfuga fuerit, addita ra-
tione: *ne scilicet contrarium ius non tam ipsi iniuriosum sit, qui*
semper seruus permanet, quam domino damnosum constituatur.^{h)}
Quod uero ad naues spectat, MARCELLOⁱ⁾ iudice, *nauibus*
quidem longis atque onerariis, propter belli usum, postlimini-
um est; non autem pectorioris, aut si quas actuarias uolupta-
tis causa parauerunt. Quo circa monet GROTIUS,^{k)} quae in
bello usum habent mobilia, ideo a regula excepta esse, ut re-
cuperandi spes ad ea comparanda alacriores homines redde-
ret, seu, prout interpretatur IOANNES FRIDERICVS GRO-
NOVIUS,^{l)} ut animosius emerent, in quibus scirent, ualere
ius postliminii. Quapropter etiam non omnibus nauibus
actua-

actuariis, sed iis duntaxat, quae uoluptatis causa, non ad belli usum, paratae sunt, postliminium denegauit MARCELLVS. Actuariorum enim nauium, quales sunt, quae remis aguntur, etiam minorum quasdam, belli usibus adhibitas fuisse, ex LIVIO,^{m)} et IVLIO CAESARE,ⁿ⁾ idem obseruat GRONOVIVS. Porro equum etiam aut *equam freni patientem* postliminio recipi, auctoritas MARCELLI^{o)} iam nominati, confirmat, qui hanc adiicit rationem, quia *sine culpa equitis se proripere potuerunt*; Vnde ex aduerso idem hic Iqrisconsultus *armis*^{p)} quemadmodum POMPONIVS^{q)} *uestibus*, ius postliminii negandum censuit, non, quasi hae res nullius in bello sint usus, sed, quia, prout aperte causatur laudatus MARCELLVS, non sine flagitio, ideoque turpiter, amittuntur. Ceteras autem res mobiles, quibus non speciatim ius aliquod postliminii in legibus asseritur, uidetur in praeda habuisse Romanorum prudentes. Ad has igitur pertinet, quod LABEO^{r)} scribit: *Si quid bello captum est, in praeda est, non postliminio redit;* Seu, ut emendatius legendum existimat CORNELIVS VAN BYNKERSHOEK:^{s)} *Si, quod bello captum est, in praeda est, non postliminio redit.* Et hinc infert GROTIUS^{t)} huiusmodi mobilia commercio parata, ubicunque reperiantur, manere

B 3

eius,

XIVI DE POSTLIMITINIO RERUM

eijs, qui emit, nec apud pacatos reperta, aut intra fines per-
ducta vindicandi ius esse ueteri domino.

- a) VLPIANVS L. 6. princ. D. de iustitia et iure.
- b) POMPONIVS L. 20. §. I. D. de captiu. et postlimin.
- c) GROTIUS de iure belli et pac. L. III. c. IX. §. XIIII.
- d) HYBERVS Praelect. Pand. L. XLIX. Tit. XV. §. VII.
- e) add. L. 36. D. de religios. L. 6. princ. D. de diuis. verum. L. 26. D. qui-
bus modis ususfr. amitt.
- f) CICERO Topic. c. VIII.
- g) PAULLVS L. 19. §. 5. D. de captiu. et postlimin. reuerf. add. L. 10. C. de
Postliminio reuerfis.
- h) CONF. CVIACIVS Obseruat. et emendat. L. IV. c. IX.
- i) MARCELLVS L. 2. princ. D. de captiu. et postlim.
- k) GROTIUS cit. loc. §. XIV.
- t) IO. FRIDERICVS GRONOVIS in notis ad h. l. Grotii.
- m) LIVIUS histor. Rom. L. XXX. c. XLIII.
- n) IULIUS CAESAR de bello gallico, L. V. c. I.
- o) MARCELLVS tit. L. 2. §. 1. D. de captiu. et postlim.
- p) IDEM all. L. 2. §. 2.
- q) POMPONIVS L. 3. D. eod. tit.
- r) LAEVO L. 28. D. eod. tit.
- s) VAN BYNKERSHOEK Obseruat. iur. romani L. III. c. VI.
- t) GROTIUS loc. cit. §. XIV.

V.

V.

MORIEVS HODIERNIS NULLVM ESSE
 RERVM MOBILIVM POSTLIMINVN
 COMPLVRRES TRADVN T
 EXPENDVNTVR ENGELBRECHTI CARPOVII ACHVBERI
 DE AEQVITATE HVIVSMODI MORVM
 IUDICIA.

DISCRIMEN ishuc, de quo priore paragrapho exposui-
 mus, rerum mobilium, ratione iuris postliminii usum
 habuisse in occidente, etiam sub Gothis, ad Boëthii usque
 tempora, ex eo, quod is Ciceronis topica explicans ita uidea-
 tur de hoc iure loqui, quasi, quod ad eum diem vim suam
 obuineret, conicit pluries iam citatus GROTIUS,^{a)} at poste-
 rioribus temporibus, si non ante, sublatam uideri hanc diffe-
 rentiam, idem ille censet, cum passim tradant morum periti,
 res mobiles postliminio non redire. Quam in sententiam pe-
 dibus iuerunt VLRICVS HVERVS,^{b)} LAVTERBACHIVS,^{c)}
 et complures alii,^{d)} ac speciatim utile obseruatu esse putat
 HVERVS, rerum mobilium non admitti postliminium, pro-
 pter infinita, quae ex eiusmodi vindicationibus orirentur, litig-
 ia. Sicuti autem non immerito dubitat LÜDERVS MEN-

CENIVS



KENIVS^{e)} num uniuersali omnipium gentium consuetudine cunctae res mobiles careant postliminii iure: ita ex iis quoque, quae supra, paragrapho tertia, de naturali postliminii aequitate disseruimus, istiusmodi morum rationabilitas admodum suspecta videtur. Licet enim non omnino desint colores, quibus fucus aliquis fieri possit sententiae, res mobiles promiscue in praeda esse, existimantur; quemadmodum CARPOVIVS,^{f)} et ENGELBRECHTVS,^{g)} id ad excitandum feruorem militum introducunt esse autumat, ut hi alacriores reddantur ad rem gerendam, cerri quodammodo, se rerum dominium, quas uita periculo nanciscuntur, non tam facile amissuros: vix tamen erit, ut hac ratione solide conuincamur, ueram, nec imaginariam saltem, istorum morum esse aequitatem. Ut cunque enim aequum ac publice conducibile sit, ut ad rem aduersus hostem strenue agendum propositis excitentur milites praemiis; aliij tamen anquirendi sunt, nec deerunt quoque, largitionum fontes, e quibus compensari militum uirtus possit, absque ulla iniuria ciujum iam tum satis belli calamitatibus afflictorum; Et merito idem illud de rebus dicendum erit, quod de hominibus, captis ab hostibus, sed *uirtute militum liberatis*, praeclare rescripsierunt IMPERATORES DIOCLETIA-

NVS

NVS et MAXIMIANVS,^{b)} personas scilicet illico statum suum, quem captitatis casu amiserant recipere, seruos autem dominis suis restitui debere; hac addita ratione: *Receptos enim eos, non captos iudicare debemus: et MILITEM NOSTRVM DEFENSOREM EORVM DECET ESSE, NON DOMINVM.* Ceterum, si litigia illa, quae ex vindicationibus rerum mobilium, ab hostium potestate liberatarum, metuit HVBERVUS, solidam continerent causam iuris postliminii pristinis dominis denegandi: perinde reliquas quoque rerum, veluti a furibus latronibusque ablatarum, vel aliis modis deperditarum, vindicationes prorsus eliminare necessum foret, propter similem infinitorum litigiorum metum.

a) GROTIUS c. l. §. XIV. et XV.

b) VRICVS HVBERVUS in *praelect. Pandect. tit. de captiis et postliminio.*
§. VII.

c) WOLFGANG ADAM LAVTERBACHIVS in *colleg. Pand. theoret. pract.*
cod. tit. §. XVI.

d) VINNERUS in *comment. Inflicht.* ad §. V. quibus mod. ius patriae potestat.
solutur. et ab eo citatus DIODORVS TULDENVS in *comment. ad tit. de
rer. divis. c. XXX.*

e) LÜDERVS MENCKENIVS in *Synopsi theoriae et praxeos Pandectarum.*
L. XLIX. Tit. XV. §. VIII.

C

f) BENE-

XVIII DE POSTLIMINIO RERVM

f) BENEDICTVS CARPZOVIVS *in definition. forens. Part. IV. Conf. XXXV.*
def. VIII.

g) GEORGIVS ENGELBRECHT *in dissert. de postliminio, habita Gryphiswaldiae anno 1664.*

h) DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS *in L. i. C. de postlimin. reuersis.*

VI.

RES NONDVM INTRA PRAESIDIA
HOSTIVM DEDVCTAE MANENT PRIORVM
DOMINORVM
IDEM DE REBV S A PIRATIS AC LATRONIBVS,
AVT A MILITIBVS SINE VENIA SVPERIORVM
AVT IN BELLO CIVILI CAPTIS
ASSERIT VR.

QVODSI etiam istorum morum firmitas omni vacaret
dubio, ipsi tamen eorum patroni studiose istas exci-
pere solent res, quae capropter postliminii, seu uerius,
fictionis iuris ciuilis, quasi nunquam fuerint captae, non
egere uidentur, quia dominium earum iure gentium non-
dum mutatum censerur.¹⁰⁾ Quarum in numero sunt res ab
hostibus quidem occupari coepitae, attamen intra praesidia
nondum perductae, ideoque nondum pro perfecte captis ha-
bendae.

bendae.ⁱⁱ⁾ Hinc, quae ab hostibus in fuga recuperata sunt, uero restituenda esse domino, inter alios monet C A R P -
Z O V I V S,^{c)} et M E N C K E N I V S.^{d)} Similiter huc refe-
runtur res a piratis aut latronibus captae. Etenim hostes
a latronibus piratische, quibus ius belli gerendi deest, cu-
rate seiungere consueuerunt Romanorum prudentes;^{e)} In-
primis autem V L P I A N V S^{f)} eum, qui a latronibus captus
est, seruum latronum fieri, postliminiumque illi necessa-
rium esse, abscisse negat: sicuti P A V L L V S^{g)} quoque a
piratis aut latronibus captos liberos permanere statuit. Idem
igitur hoc, quod de personis tradunt Iurisconsulti, eandem
ob rationem, etiam ad res a piratis latronibusue raptas, per-
tinet, quia illis, ut G R O T I V S^{h)} causatur, ius gentium non
concessit, ut ius domini mutare possint. Vnde quoque con-
sequens est, ut, siquidem milites sine superiorum uoluntate
praedam agere fuerint ausi, non magis mutatum sit dicen-
dum dominium, ac si latrones res abstulerint. Certe in
L E G I B V S nostris militaribus, cum I M P E R I A L I B V Sⁱ⁾ tum
S A X O N I C I S,^{k)} seuere interdictum est militibus, ut ne in
uiis publicis, aut urbibus ac pagis, ausu priuato quicquam
surripiant incolis, poena rapinae illis, qui contra fecerint,

expresse indicata. Denique in bello ciuili capta, quia in eo non sunt legitimi hostes, non egere postliminio, omnibus sere extra dubium positum esse uidetur.¹⁾

a) GROTIUS cit. loc. §. XVI. LAVTERBACHIVS alleg. Tit. Pand. §. XVI.

b) arg. L. 5. §. 1. D. de captiu. et postlimin. add. STRYKIVS in usu Pand. mod. dicit. Tit. §. IIII.

c) CARPZOVIVS cit. loc. defin. IX.

d) MENCKENIVS in Synopf. Pand. all. Tit. §. IIII. argumentum ex L. 44. D. de adquirend. rer. dom. ducens.

e) v. L. 18. D. commodati. L. 1. p. inc. D. de legatis IIII. L. 24. D. de captiu. et postlim. item L. 19. et L. 199. §. 1. D. de uerbor. Signific. de antiquo significatu vocabuli: hostis, vid. IO. NICOLAVS FVNCCIVS ad LL. XII. Tab. p. 103. et 173. add. quoque CORNELIVS VAN BYNKERSHOEK obseru. iur. rom. Lib. V. cap. XXII.

f) VLPIANVS all. L. 24. D. de captiu. et postlim.

g) PAVLLVS L. 19 §. 2. D. esd. tit.

h) GROTIUS loc. iam citato.

i) IMPERATORIS MAXIMILIANI II. Reuter = Bestallung de anno 1570. art. XCIII. eiusdem Articlel auf die teutsche Kuechte, art. XXI.

k) DIVI ELECTORIS SAX. IOANNIS GEORGII I. Articulus Brief de anno 1631. art. XIII. XIV. XV. XXVI. item DIVI ELECT. IOANNIS GEORGII II. Reuter = Bestallung de anno 1664. art. XXXIX.

XXXIX. XLI. et XLII. EIVSDEM Articulis-Brief de anno 1673.
art. XIX. XX. XXIV. Nec non DIVI REGIS FOLON. AC
ELECT. SAX. FRIDERICI AVGVSTI Kriegs-Articulis-Brief
de anno 1698 art. XV. et XIX.

¹⁾ Vid. HEINECCIVS Element. Pandect. Part. VI. §. CLXXII. *

VII.

ETIAM EARVM RERVVM EST POSTLIMITINIVM,
QVAS ALIVS SVA IMPENSA REDEMIT
HIC AVTEM INDEMNIS SERVANDVS
IVRE TAMEN SAXONICO, TVNC SALTEM,
SI ABSQVE MORA
CORAM IUDICE PROTESTATVS EST, SE REM
ANIMO REDDENDI DOMINO COMPARASSE.

NON omnino desunt, qui res mobiles, ab hostium potestate liberatas, tunc saltem pristinis restituendas esse dominis autumant, si casu uel alio modo, ita, ut tertio nulla exinde nascatur obligatio, recuperentur; veluti, si nauis, ui tempestatis, uela nautis, quibus custodienda commissa erat a domino, liberaretur: at si alias in redemptionem sumptus expendat, uel ui ac armis, suoque periculo rem apprehendat, hostibusque eripiat, tum omnem prorsus postliminii cessare rationem contendunt. ^{a)}

C 3

Sed

Sed magis esse uidetur, ut hac etiam specie proposita postliminio per seque concedamus locum, ac IMPERATORES⁶⁾ personis, quas alius ab hostibus redemit, restituto hoc uel remisso redemptionis pretio, aut quinquennalibus operis compensato, postliminii ius aperte tribuunt. Vtique enim ius pristini domini, vindicandae rei suae, ex potestate hostium reductae, cum obligatione refundendarum expensarum, quas alius quispiam illius liberandae gratia fecit, commode consistere potest, quandoquidem vindicatio ei patet iure *dominii*, aut *nondum amissi*, si scilicet talis sit res, quam non egere postliminii antea dictum, aut *reintegrati* per postliminium, ratione ceterarum rerum, ab hostibus perfecte captarum: is autem ex aduerso indemnem merito praestabit eum, cuius prouidentia atque impendio exercendi iuris postliminii, vindicandaque rei copiam iterum nactus est, ideoque, pro conditione eorum quae rem circumstant, actione negotiorum gestorum, aut directa, aut utili, tenebitur;⁷⁾ aut poterit etiam possessor vindicaturum tamdiu exceptione doli mali repellere, donec de pretio redemptionis ipsi fuerit satisfactum.⁸⁾ Quamuis enim ordinarii iuris esse constet, dominum rem suam vindicare sine pretio posse,⁹⁾ attamen hoc quoque expeditum est, hancce regulam

Iam iuris quam saepissime officium suum perdere. Ita minor, fundum absque magistratus decreto uenditum uindicaturus, pretium restituere debet in rem suam uersum.^{a)} Similiter uxor dotale praedium, a marito alienatum, repetitura a possessore tertio, uicissim refundere tenetur, quod ex pretio in suam utilitatem conuersum appareat.^{b)} Ceterum in Saxonia nostra expressa lege definitum est, ut mobilium ab hostibus ablatorum et a quoquam emptorum, sine pretio uindicandorum ius sit pristino domino, nisi is, qui rem emit ab hostibus, hoc sine mora iudici indicauerit, seque eam, animo, superuenienti domino reddendi, comparasse, protestatus fuerit: qua quippe cautione non neglecta, illi a domino, rem uindicatuero, tantundem erit refundendum, quantum probauerit pro ea re datum esse.^{b)}

a) Vid. IOANNIS FRIDERICI WEIDLERI dissertatio: *utrum praeda Salensibus Afris excepta uindicari possit?* §. XVI. habita VITÆ BERGAE anno 1735. iung. L. 5. et 10. C. de postliminio reuersis.

b) GORDIANVS in L. 2. C. de postliminio reuersis. DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS L. 6. et 17. eodem HONORIVS et THEODOSIVS L. 20. C. eod. add. IACOBI CYIACII paratilia ad h. tit. Cod.

c) arg.

XXIV DE POSTLIMITINIO RERVM

- c) arg. L. 1 D. de negot. gest. BENEDICT. CARPZOVIVS *definit.*
forens. Part. IV. Conf. XXXV. defn. VIII. n. 21. iung. L. ult. D. de
negot. gest.
- d) arg. §. 30. 32. 33. et 34. I. de ver. diuif. iunct. L. 2. §. 5. D. de doli mali
et metus except.
- e) L. 3. et 23. C. de rei vindicat. L. 2. C. de furtis.
- f) L. 16. C. de praediis et aliis rebus minorum.
- g) Vid. a LEYSER Meditat. ad Pandectas Specim. CCCXI. med. IV. et
V. euolu. quoque L. 65. princ. D. de rei vind. L. 19. C. de procu-
rator.
- h) DECISIO ELECTORALIS SAXON. XC. compar. IOANN. PHILIPPI ob-
seruat. iur. pract. ad h. Decis.

VIII.

IVS POSTLIMITINII RRAESCRIPTIONE TOLLITVR
TEMPORE TAMEN BELLI AC IVSTITII HAEC
NON CVRRIT
ETIAM INTVITV RERVM MOBILIVM TRICENNARIA
VIDETVR PRAESCRIPTIO NECESSARIA ESSE

Ius postlimitinii, quemadmodum alia iura, praeescriptioni
subiacere, uix quisquam ambiget. Quando uero cur-
fus huius praeescriptionis incipiat, et quo temporis spatio
absol-

absoluatur, praesertim intuitu mobilium, adhuc paucis exponemus. Extingui postliminium lapsu triginta annorum, eoque spatio ciuitatum, pagorum, aliorumque collegiorum ac corporum, dummodo sacra et pia non sint, quorum quippe iura ordinarie quadraginta demum annis perent, ^{et} ius postliminii extingui, atque initium huius praescriptionis in fine belli, et iustitii, ^{et} collocandum esse, monet A LEYSER; ^{et} qui insimul hoc quoque obseruat, quod collegiis licitis ac uniuersitatibus, quamdiu uacarunt, non currat praecriptio, sed ex eo demum tempore, quo congregari rursus ac unum fieri corpus coeperrunt, sit computanda; Addit etiam porro, saluam adhuc esse collegiis istiusmodi, uniuersitatibus, piisque corporibus, restitutionem in integrum intra quadriennium, absolta iam praecriptione. ^{et} At nihil adhuc secius ambiguum videbitur, num haec etiam ad postliminium mobilium rerum, quibus quippe alias breuiori tempore, et iure quidem ciuili intra triennium, ^{et} Saxonum uero iuribus, intra annum, sex hebdomadas, atque tres dies, ^{et} regulariter praescribitur, extendi possint? Quam quaestionem, ab omnibus, quotquot iam euoluere licuit, commentatoribus negle-

D

ctam

XXVI DE POSTLIMINIO RERVM

etiam esse, haud equidem miramur, cum plerique rerum mobilium postliminium penitus negare soleant. Ut uero, quid de hac re sentiendum videatur, paucis expediamus, nos quidem in rebus ab hostibus ereptis, idem iuris esse censemus, quod in aliis REBUS VI ABLATIS,^{g)} quas, cum hocce possessionis uitium sit reale,^{b)} et hinc, quoad illud fuerit purgatum,ⁱ⁾ cuicunque obstat possessori, intra tempus ordinarium usucapere nemo poterit, sed triginta demum annorum decursus bonae fidei possessori aduersus pristinum dominum rem suam vindicaturum securitatem praestabit.^{k)} Hos tamen triginta annos non semper a fine demum belli pace compositi, uerum, ab eo tempore, quo agere potuisset pristinus rei dominus, adeoque, si res prius ab hostibus reducta fuerit, iustitiumque ante bellum finitum iam desierit, illico a tempore iustitii cessantis computandos esse existimamus.

a) Vid. L. 24. C. de sacr. eccl. NOVELLA CXI. c.I. et NOVELLA CXXXI. c. III.

b) quod GELLIUS noct. attic. L. XX. c. I. describit, quod sit interstitio ac cessatio iuris.

c) A LEYSBR Meditar. ad Pand. Specim. DCLIX. med. X. segg. add. c. X. io. de praescription. iung. RECESSVS IMPERII de anno 1634.

- §. 172. et MANDATVM SAX. ELECT. de dato d. 25. Iulii 1656. ver-
bis: darwider keine Verjährung sc. in COD. AVGVST. P. II. p. 888.
Conferatur quoque PETRVS MÜLLERVS in notis ad STRVYI syn-
tagma iur. ciu. Exercitat. L. §. XL.
- d) CLEMENTINA unic. de restitut. in integrum. id quod etiam congruit
CONSTITUTIONI SAXON. ELECT. V. Part. II.
- e) L. unic. C. de usucacion. transformand. princ. I. de usucaptionibus.
- f) IUS PROVINCIALE SAXON. L. I. art. XXVIII.
- g) argumentum praebere nobis uidetur DECISIO ELECTORALIS SA-
XONICA XC. verbis: vor abgeraubtes Guth zu achten sc. Istiusmodi
rerum usucaptionem interdixit L. IVLIA et PLAVTIA seu PLOTIA.
§. V. I. de usucacion. conf. HEINECCI Anniq. Rom. ad. h. t.
§. V.
- h) §. 2. I. de usucap. L. II. C. de adquir. uel retinend. possess.
- i) §. 3. I. de usucap. L. 4. §. 6. et 12. sequ. D. de usurpat. et usuca-
tion.
- k) L. 8. §. 1. C. de praescript. XXX. uel XL. annorum. Conf. HEINEC-
CIVS in elem. Pandect. Part. VI. § CCXXIII.



LIBER I. MELANOMA MIT ASSUMPTU

ALIUS LIBER I. MELANOMA MIT ASSUMPTU
IN TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ET PARS ET TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ET TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ET TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ET TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ET TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ET TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ET TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ET TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ET TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ET TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ET TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ET TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ET TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ET TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ET TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ET TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ET TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ET TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ET TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ET TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ET TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ET TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ET TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ET TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ET TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ET TITULIS ET CAPITIBUS ET IN PARS

ULB Halle
003 770 109


3



SB



B.I.G.



DE

POSTLIMINIO RERVM
PRAESERTIM MOBILIVM

PRAE S I D E

1763 5

GEORGIO FRIDERICO KRAVSIO D
INSTI TUTIONVM PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO CVRIAЕ PROVINCIALIS CONSISTORII
ECCLESIASTICI SCABINATVS ET FACVLTATIS
IVRIDICAE ASSESSORE

P R O G R A D V D O C T O R I S

RITE OBTINENDO

DIE MAII A. R. G. c1510 CCLXIII

I N A V D I T O R I O M A I O R E

P U B L I C E D I S S E R E T

CHRISTIANVS HENRICVS DREWER
DRESDENSIS

VITEMBERGAE

PRELO IOANNIS SAMVELIS GERDESI

